

Die 20 mane functionibus adstitit. Post prandium [83r] vero accessit ad ecclesiam Sanctissimae Conceptionis loci Pignae viceparochialem, et cum esset dies in Parasceve visitavit solummodo. Tria sunt altaria: maius, in quo asservatur sanctissimum Sacramentum, secundum, sanctissimi Rosarii et tertium, sanctissimae Conceptionis. In dicto altari sanctissimi Rosarii est erecta cappellania seu verius legatum pium quondam Simeonis Petri Consalci [*lire Consalvi*], de qua nihil aliud habere potui, et idcirco indicasse satis erit. Dicta altaria et ecclesia manuteneantur a populo dicti loci, et modo sufficienter ornata. In dicta ecclesia sunt plura legata pia usque ad summam librarum 600, ex quarum fructibus viceparochus celebrare deberet missas 78 in quolibet anno. Asserit etiam populus quod sint usurpatae et distractae librae 400.

In dicta ecclesia erecta est societas et confratres sunt 60. Familiae 36. Sacerdotes 5. Animae 159.

[...]

Pro ecclesia viceparochiali Sanctissimae Conceptionis loci Pignae

Interdicto subiaceat planeta nigra.

Faenestrae instruantur laminis vitreis intra tres menses, sub poena librarum triginta.